



Propono etiam ut condantur ubique instituta laicorum ad scribendum et diffundendum commenticias fabulas (romans) inspiratione catholica, libros apologeticos, morales ad debellandum et reparandum malum causatum ex scriptis anti-christianis et immoralibus, libros ephemeridesque ad delectandum recte saneque, ad docendum verum, ad corrigendas falsas ideas atque erroneas historias ecclesiasticas, ad edendos eosdem libros optimo pretio.

12

Exc.MUS P. D. CAROLUS WOJTYŁA

Episcopus tit. Ombitanus, vic. cap. Cracoviensis

1. Schema *de apostolatu laicorum* placet, tamen iuxta modum. Materiam suam proponit sub pluribus titulis et pluribus capitibus, unde ipsa non apparet in magnis suis lineis, sed nimis particulariter. Maxima tamen difficultas in hoc esse videtur, quod schema magnam dat praeponderantiam formis consociativis apostolatus et de ipsis praeprimis loquitur. Unde periculum evadit, ut laici in multis regionibus, ubi formae consociativae non existunt, legendo hoc schema ad talem perveniunt convictionem nihil vel quasi nihil pro ipsis in apostolatu remansisse. Etiam sacerdotes in cura pastorali laicorum occupati possent ad talem pervenire persuasionem vel vias et methodos apostolatus laicorum extra id, quod in schemate dictum est, quaerere obligarentur.

Haec mihi videtur difficultas fundamentalis. Quae ut evitetur, oportet aliter ponere quaestionem.

2. Certo certius schema nostrum supponit omnia, quae in schemate *de Ecclesia* et praesertim in capitibus *de populo Dei* et *de laicis* iam dicta sunt. In hac suppositione oportet, ut proponat una ex parte iura et altera ex parte officia cuiuslibet laici erga apostolatum. Haec iura et officia radices suas habent in charactere sacramentali baptismi et confirmationis. Exercentur autem per bona opera ex fide et caritate supernaturali orta.

Tunc oportet in primis designare multiplex obiectum huius apostolatus, quod in vita personali, familiari, professionali et sociali cuiuslibet hominis invenitur. Homo in quolibet vitae suae ambitu haurire potest ex opibus Creatoris operando secundum eius mentem, inquantum nobis praesertim per Filium Incarnatum clare et perspicue apparuit. Vita humana videtur esse plena bonorum, quae data sunt cuiuslibet ad alia et meliora obtinenda. Et haec quidem in ordine naturali et supernaturali. Conditio primaria apostolatus praecipue videtur esse quidam optimismus moderatus ex firma fide mysteriorum Creationis, Incarnationis et Redemptionis orta.

Homo quilibet omnino conscius huius boni, quod ipsi Creator et Redemptor dedit, et illius, quod ab ipso postulat, agit in spiritu fidei vivae suam propriam vitam tamquam exemplar personae humanae et simul christianae, quod alios attrahere valet. Et haec est basis cuiuslibet apostolatus etiam in formis consociativis eiusdem. Oportet non oblivisci, apostolatum in suis intimis esse influxum personalem in alios, qui fundatur in bono intellectuali et magis adhuc morali — in bono fidei et operum caritatis. Quod dico, valet pro quolibet apostolatu, non tantum individuali sed etiam organizato. Momentum personale magis videtur esse suble-



vandum in toto schemate. Tali modo clarius apparebit apostolatatum istum obligare omnes et omnibus simul servire.

3. Quoad momentum servitii. In schemate apostolatus laicorum apparet tamquam servitium erga Ecclesiam, quod est omnino verum. Oportet tamen forsitan ut magis etiam appareat tamquam servitium Ecclesiae erga humanitatem integram, quae diversimode tendit ad finem suum in ordine tam naturae quam gratiae obtinendum. Istud servitium videtur esse munus in primis laicorum, cum clerici et religiosi in iis, quae ad vitam supernaturalem sunt necessaria, praecipue versantur.

4. Omnia superius dicta magni videntur esse momenti sub aspectu praesertim iuvenum, de quibus sermo fit in n. 27. Ibi etiam mentionatur crisis, quae in iuvenibus observari potest. Punctum saliens eiusdem est, quia non confidunt, quae diffidentia constituit effectum ultimi belli, camporum concentrationis, periculi atomici etc. Tunc quaestio prima, quae illos i. e. iuvenes perturbat, est de sensu existantiae propriae et humanae in genere. In sua vita iuvenes non sunt nimis prompti ad quamlibet doctrinam vel ideologiam recipiendam et ad vitam in organizationibus degendam. Praeferunt sic dictum « milieu » (ambitum) et in actibus suis non tantum quaerunt ea, quae sunt bona et vera, quantum ea, quae sunt « authentica ». Est res maximi momenti pro apostolatu laicorum et praecipue pro laicis ad apostolatatum formandis.

5. In schemate nihil vel quasi nihil invenimus de magna possibilitate apostolatus ex parte scriptorum. Videmus tamen, quod multi catholici litterarum ope magnum servitium praestant veritati christianae et humanae. Scripta ab illis composita non tantum placent sed etiam docent — et non tantum docent sed etiam placent, alliciendo mentes et corda ad veritatem.

De hac re simul ac de aliis generibus artium de eorumque momento apostolico aliqua in schemate *de apostolatu laicorum* videntur necessaria. Illa quae in schemate « De mediis communicationis socialis » inveniuntur, non sufficiunt.

6. Ultimo: oportet, ut in schemate appareat laicum in suo apostolatu primo et prius esse obiectum, postea ipsum subiectum actionis pastoralis Ecclesiae, saltem in sensu analogico. Ex structura enim vitae hodiernae clara fit, quod sacerdos in sua actione pastorali vitam humanam in omnibus adiunctis attingere nequeat, nisi a laicis adiuvetur.

13

EXC.MI PP. DD. EPISCOPI PROVINCIARUM AQUENSIS ET AVENIONENSIS
ET DIOECESIUM MASSILIENSIS ET MONOECENSIS

1. Hoc schema non convenit: *a*) apostolatus enim notio ipsa in hoc schemate non invenitur satis exacta; *b*) circa res tenues hoc schema nimis moratur.

2. Quare censemus ut conscribantur: *a*) textus in quo contineantur « altiora principia »; *b*) « Directorium » de quo non disputandum sit in aula Concilii, sed quod circa sententiam suam Patres scripto aperire possint.

3. Emendationes proponimus ut partibus sequentibus hoc schema constet: I. de natura apostolatus laicorum; II. altiora principia de modo huiusmodi apostolatus exercendi.